



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

159. Vnde & quæ constituenda Ecclesiæ noviter erigendæ cum dicta dismembratione dos & congrua pro sustentatione novi Rectoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

*Quaestio 158. An sicut Episcopus erigere potest novas Ecclesias parochiales a fundamentis, ita etiam Ecclesiam simplicem jam constitutam erigere possit in curatam & parochialem; & e contra parochialem reducere ad simplicem Ecclesiam, seu beneficium simplex?*

1. Respondeo ad primum affirmativè: nimirum ob augmentum cultûs divini, aliâque legitimâ causâ subsistente. Corrad. l. 3. c. 3. n. 12. Azor. p. 2. l. 5. c. 29. q. 25. & c. 30. n. 3. Garc. p. 12. c. 5. num. 3. Barb. de potest. Episc. alleg. 63. per totum. qui quoque omnes asserunt, non oblatre declarationem S. Congregationis, quam refert Garc. & inter cetera sic habet: *nec beneficia simplicia in curata converti ab Ordinario possunt. ed quodd subintelligatur: cessante causâ & necessitate. Porro parochialis Ecclesiae erectionis formam vide apud Corrad. l. 3. c. 2. n. 11.*

2. Respondeo ad secundum negativè: sic enim cavetur expressè per Trid. sess. 25. c. 16. ne beneficia curata in simplicia convertantur, & si parochialis Ecclesia per Episcopum convertatur in simplex beneficium, ipsa conversio fit prorsus nulla, vide Corrad. loc. cit. n. 13. intelligendumque hoc ipsum est, ut habet Declaratio S. Congreg. super cit. c. 16. Trid. etiamsi fiat conversio in aliqua tantum parte fructuum parochialis; item ut ne quidem dismembrare possit beneficium curatum, & unire beneficio simplici, etiam ex parte minore fructuum parochiae, constituendo beneficium simplex, ut habet altera & tertia ejusdem S. Congreg. declaratio; ac denique ut nequidem separare possit ab Ecclesiis parochialibus beneficia simplicia sive oratoria iis unita; etiamsi iis separatis parochiales non egeant; ut habet quarta declaratio. Vide has declarationes apud Corrad. loc. cit. & Garc. part. 12. c. 2. n. 87. Possie verò Papam reducere parochiales ad simplicia beneficia, praesertim ubi causa aliqua intercedit, dubium non est, & constat experientia. Corrad. loc. cit. n. 14.

*Quaestio 159. Unde, & qua constituenda Ecclesia noviter erigenda cum dicta dismembratione dos & congrua pro sustentatione novi Rectoris?*

1. Respondeo ad primum Card. Luc. de decim. d. 12. n. 8. cum ad istiusmodi novas erectiones cum tali dismembratione procedi non solet, nisi cum minimo, quo fieri potest, antiquae Ecclesiae praedicio, adeoque ut patiat quidem praedictum illud diminutionis jurisdictionis populi, alterumque hinc natum diminutionis emolumentorum parochialium; non verò illud diminutionis decimarum, in quo frequenter praecipua parochiarum dos consistit; hinc Ordinarios solere ad istas novas erectiones, quae sunt cum formali dismembratione procedere; quatenus illa parochianorum pars vel communitas, quae id petit, & cujus interest istam dismembrationem fieri ob dicta magna incommoda distantiae accedendi ad antiquam parochiam, congruè dotet novam parochiam; adeo, ut antiquae dos illud detrimentum saltem in hac parte non patiat; possuntque, si necesse est, compellere ad hoc parochianos illos Ordinarii, ut dictum supra. Quibus tamen non obstantibus possunt iidem Ordinarii, praesertim ubi proventus matricis copiosi sunt, & parochianorum pars illa avulsâ egentior, ex fructibus quomodocumque ad

*P. Lauren. Fori Benef. Tom. 1.*

matricem pertinentibus hanc novae Ecclesiae dotem, & novi Rectoris congruam defumere juxta dicta ibidem.

2. Respondeo ad secundum in genere Azor. p. 2. l. 3. c. 12. dotem parochialis Ecclesiae debere esse tantam, ut ex ea unus presbyter cum altero Clerico ministro commodè sustentari possit, & quando opus sit, uti hospitalitate, juxta c. 1. de prob. in 6. & c. quisquis, de vita & sanctitate Cleric. Addit C. de Luc. de paroch. d. 18. n. 2. juxta mentem Trident. sess. 7. c. 7. & constitutionis Pianae, de qua supra, majorem esse debere dotem Ecclesiae parochialis, quam congruam Vicarii cujusdam perpetui in parochiali. Porro dum beneficium parochialis ab initio congruè dotati dos omnino, vel ex parte interierit, cujus sit redotare illud, vide dicta supra.

*Quaestio 160. An, & qualiter parochia constituenda habere separatam territorium, & quot familiis constare debeant?*

1. Respondeo ad primum: parochiam quamlibet regulariter loquendo (quod addo ob parochias distinctas tantum certis familiis, aliàs promiscuè habitantibus) debere habere territorium suum separatam & divisum, in quo non est licitum alteri parochiae aliquid facere. Barb. l. 1. juris Ecclesiastici c. 20. n. 15. & apud illum Tusch. l. p. conclus. 95. n. 7. & alii.

2. Respondeo ad secundum: ad minus decem familiis constare debet. Barb. ibid. n. 16. Et licet Corrad. l. 3. c. 5. n. 10. dicat sufficere 10. personas ad constituendam parochiam, id tamen intelligit de parochia semel constituta, quod ea persistat, modò 10. personae remaneant; nam in fine ejusdem numeri ait paucitatem istam domorum, vel personarum, nempe trium domorum, in quibus sunt Communicantes 15. vel quinque, in quibus sunt Communicantes 20. vix sufficere, ut parochia erigatur, juxta cap. unic. 10. q. 5. & Gl. ibidem.

*Quaestio 161. An, & qualiter fines parochiarum praescribantur?*

1. Respondeo primò: fines parochiarum (idem est de diocesis) dum clarè & manifestè distincti sunt, non praescribuntur, Barb. loc. cit. n. 28. citans Menoch. conf. 147. n. 44. cum enim in utilitatem publicam auctoritate publicâ sint constituti & distincti juxta c. 1. d. 80. & Trid. sess. 14. c. 9. & sess. 24. c. 13. sunt immutabiles, ne aliàs privatâ cujusque praescribentis auctoritate sublati antiquis passim novi constituti tam in jurisdictione, quam reliquis ad publicam utilitatem spectantibus frequentem & maximam confusionis & incertitudinis pariant occasionem; secus ac contingit in finibus praediorum, utpote qui privati tantum juris privatâ cujusque auctoritate constituuntur & mutantur juxta l. 1. c. finium regundorum. Unde licet intra fines parochiae vel diocesis admittatur praescriptio ad effectum, ut praescribens intra illos obtineat jurisdictionem, vel jura Episcopalia, vel parochialia juxta c. ad aures, de praescriptione: fines tamen ipsi praescribi non possunt, ut desinant esse, qui antè erant, vel restringantur, & alii extendantur, & sint, ubi non erant. ita ferè Barb. ibid.

2. Respondeo secundò: si tamen fines diocesium vel parochiarum non sunt certi, praescribuntur 30. annis, intra limites tamen tantum ejusdem provinciae, Barb. n. 29. citans Menoch. & c. si tamen Episcopus locum alterius diocesis convertit